



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Synopsis Magnalium Divi Josephi**

**Ignatius <a Sancto Francisco>**

**Leodii, 1684**

Cap. 12. An D. Iosephus fuerit Regni Hæres Davidici & Christus per ipsum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38500**

## CAPUT XII.

*An D. Iosephus fuerit Regni  
hæres Davidici, & Christus  
per ipsum?*

I. **R**egia eaque omnium nobilissimâ Abrahami ac deinde Davidis & Salomonis stirpe progenitum esse D. Iosephum ex præcedentibus satis abundè liquet: hic ulterius progrediendo, inquirimus an etiam fuerit Regni Davidici hæres, seu an ad ipsum immediatè ac directè per istos quos Evangelistæ recensuerunt, sive hos, sive alios ipsius Progenitores jus ad Regnum Davidis delatum sit: Ubi nota me loqui de iure ad Regnum, non de possessione & usu: quia nimis certum est D. Iosephum illius usu caruisse, cum ex opificio & fabrilis semper victitavit.

II. Disputant satis frequenter nostri Theologi an Christus filius ejus fuerit Regni istius hæres temporalis & ex successione. Hanc quæstionem hic ex occasione agitabimus & resolvemus, ac deinde cum ex successione illi hoc Regnum obtingere debuerit, videbimus an per Matrem ex quâ solâ natus est, an verò per Patrem D. Iosephum cui natus est obtigerit. Igitur sit

## SECTIO PRIMA.

*An Christus Dominus fuerit  
Rex temporalis Iudaorum.*

III. **P**ro hujus resolutione quæstionis ante omnia adverte primò duplicè esse potestatem temporalem in Regna. Prima est directâ quæ formaliter & præcisè tantum dicit jus seu potestatem ad ferendas leges, cogendum subditos ad illarum observantiam, puniendos reos, compescendos turbulentos, dirimendas lites & controversias, &c. pro bono, pace & tranquillitate subditorum tam in particulari quàm in communi, secluso omni ordine & respectu ad finem spirituales seu bonum animarum, quamvis & hæc tranquillitas

multum ad istum finem conferat: & talis est potestas in Regibus temporalibus. Secunda est illa quam vocant indirectam, qualis est in Summo Pontifice, ut docet noster Doctor Resolutus Ioannes Bacchonius in 4. quæst. 11. Prologi & alii Theologi communiter, quæ quamvis sit etiam in bona temporalia subditorum ut præcedens, non tamen nisi in ordine ad bonum animarum; est enim tantum ob illius finem in eo qui habet spirituales potestatem, nec nisi ratione illius finis exerceri potest, ob quod dicitur tantum indirecta, & ideo simpliciter ex sine dicenda est spiritualis.

Adverte secundò duplicem à Theologis distingui potestatem directam in Regna temporalia, una est ordinaria qualem habent terreni Reges: hæc humano aliquo titulo acquiritur, puta, electionis, successione, donationis, occupationis per justum bellum, &c. Est temporaria quia potest finiri, potest auferri. Mutabilis quia potest augeri & minui: limitata quia ad has tantum non ad illas leges, ad hos tantum actus, & non alios extenditur: Non enim possunt Reges, nisi injustè, quodcumque libuerit facere circa subditos & illorum bona, sed tenentur se intra creditæ sibi potestatis per Dei & Regni leges, cancellos continere, quos si exceperint peccant & Deo Regi Regum & Domino dominantium rationem reddent. Alia est potestas directâ quam vocant potestatem excellentiæ: Hæc est altioris ordinis & longè perfectior priore, quæ cum non sit humanitus comparata, sed divinitus communicata, est æviterna, immutabilis & illimitata.

His positis primò certum est quod Christus Dominus, etiam ut homo est, fuerit Rex totius mundi, consequenter & Regni Israelitici ratione filiationis divinæ per communicationem idiomatum, ut aiunt: Cum enim homo & Deus in Christo ita identificetur, ut per communicationem idiomatum Deus dicatur, passus, mortuus, &c. Et homo dicatur Creator & Conservator, Omnipotens, &c. Eadem ratione cum Deus sit Rex, & Dominus totius universi, ita & homo in Christo: hic nulla est difficultas. Sed



Sed quæstio proposita in argumento procedit, & intelligitur de potestate quæ intrinsicè communicata est Humanitati Christi Domini, quare cum hæc quæ ei competit solum per communicationem idiomatum non sit talis, nihil facit ad rem.

VI. Non est etiam ullum inter Theologos orthodoxos dubium habuisse ut minimum potestatem indirectam in omnia Regna mundi consequenter in Regnum Davidicum seu Judæorum, ut scilicet de hoc & illis disponere posset in ordine ad finem supernaturalem, quia saltem hæc necessaria erat ad officium Redemptoris, quare his præteritis.

VII. Dico primò Christus ut homo habuit regiam potestatem non solum spiritualem illam seu indirectam, sed etiam politicam in omnes homines & Reges terræ, & directum Dominium in res temporales omnium regnorum mundi, consequenter in regnum Davidicum. Ita noster Doctor Resolutus in 4. quæst. 1. & 11. Prolog. art. 2. & 3. & communiter Theologi contra nostrum Thomam Waldensem tomo 1. Doctr. Antiquit. fid. lib. 2. art. 3. cap. 76. Vasquez 3. part. disp. 87. cap. 2. 6. Amicum de Incarnat. disp. 3. & nostrum Orlandi in 3. part. tract. 4. disp. 10. de Dominio temporali Christi num. 2.

VIII. Probatur primò ex Scripturâ Matth. cap. ultimo vers. 16. ubi Christus de se ipso dicit: *Data est mihi omnis potestas in celo & in terra.* Ubi signum illud *omnis* cum sit universale, distribuit potestatem Christo datam, non per partes sui Regni; hæc enim in his verbis, *in celo & in terra* continetur, sed per omnes species potestatis: ergò significat potestatem utramque, temporalem scilicet & spiritualem; in his enim ut in genera prima & immediata consistit divisio & distributio ad æquata potestatis ut sic.

IX. Ne dicas hanc potestatem esse illam quæ ei competit ratione communicationis idiomatum: esse enim aliam quæ intrinsicè humanitati communicata est, patet evidenter primò ex his verbis *data est mihi.* Secundò, ex alio simul loco Joan. cap. 25. vers. 22. *Pater omne iudicium dedit filio, quia filius hominis*

*est.* Porrò potestatem illam non fuisse etiam indirectam constat ex dictis: quia hæc non est alia à spirituali, & sic non fieret distributio quam significant hæc verba *omnis potestas.* Etsi enim illa potestas sit in bona temporalia, non tamen directè, sed tantum per ordinem ad finem spiritualem, & ideo simpliciter est spiritualis, ergò necesse est ut fuerit directæ & politica.

Replicabis cum Patre Amico mox citato sect. 2. num 45. Potestatem per hæc verba: *Data est mihi omnis potestas in celo & terra,* significatam esse spiritualem, constat ex illatione quæ fit ex his verbis in sequentibus, *Euntes ergò docete omnes gentes baptizantes eos, &c.* Sed respondeo, etsi per hæc ultima verbaliter Christus illam quam committit Apostolis suis, non tamen vult significare illam quæ in se residet, esse ita limitatam, aut hoc ex illo benè inferes. Significat ergò per illa postrema verba, quid de illa suâ universali potestate Apostolis communicat, nempe illam quæ necessaria erat ad mundi salutem: atqui ad illam non indigebant nisi spirituali quam illis per hæc verba, *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos, &c.* confert, cum nec Christus ad illam aliâ indiguerit, sed tantum ad ornamentum suæ personæ receperit.

Probatur secundò, quia in eadem Scripturâ vocatur Christus non tantum Pontifex ut Hæbr. c. 7. v. 26. sed etiam Princeps Regum terræ Apoc. c. 1. v. 5. & c. 19. v. 16. qui habet in scemore suo scriptum Rex Regum & Dominus Dominantium. Hoc autem ultimo nomine alia potestas à Pontificiâ seu spirituali intelligitur, aliàs deberet Regis nomen quod propriè significat eum qui supremâ potestate Politicâ præest, significare Pontificem; & sic à propria & naturali significatione ad figuratam torqueri, quod est alienû à doctrinâ SS. Patrum & Theologorum omnium, dicentium unanimiter verba Scripturæ debere semper accipi simpliciter & secundum propriam & naturalem eorum significationem, nisi ex inde sequeretur aliquid absõnum, quod evidenter suaderet illa debere tropicè seu figuratè accipi, quod hîc nullatenus contingit, ut patebit manifestè ex  
dicen. his

Synopsis

Magnificè  
D.  
Josephus  
RV  
11



dicendis: sicut ergo per nomen Pontificis intelligitur habens potestatem spiritualem, ita per nomen Regis habens temporalem.

XII. Confirmatur hæc ratio, quia in lege naturæ Melchisedech fuit figura Christi juxta illud psalm. 109. v. 15. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, sed hic Melchisedech fuit simul & Rex & Sacerdos: Genes. c. 14. v. 18 & Hebr. cap. 7. vers. 1. *Melchisedech verò Rex Salem Sacerdos Dei summi*. Similiter & in lege scripta Moyses qui fuit & ipse figura Christi, fuit simul Sacerdos & Rex, seu Princeps temporalis Judæorum. Sacerdos: ut patet ex psal. 98. vers. 6. *Moses & Aaron in Sacerdotibus ejus*, &c. Rex verò seu Princeps, ut patet ex toto libro Exodi: unde Philo Judæus lib. 3. de vitâ Moysis in fine ait: *Hæc est vita, hic exitus Moysis Regis, Legislatoris, Pontificis & Prophetæ*. Ergo in lege gratiæ Christus per illos adumbratus, sicut fuit totius mundi Pontifex, ita Rex.

XIII. Probatur tertio ex Sanctis Patribus, D. Augustino tract. 14. in Joan. ubi ait: *Erat quidem Rex non qualis ab hominibus sit, sed talis ut Reges faceret*. D. Hilar. in psalm. 2. ad ea verba. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo*, &c. *Nescio*, inquit, *an sit tutum ambigere Christum fuisse Regem*, quod non potest explicari de regno spiritali, quod stat cum potestate temporali indirectâ, quia non dixisset Hilarius *Nescio*, cum id sit de fide & clarior meridiano sole. Vide etiam Divum Chryostomum homil. 82. in Joannem ad illa verba, *Regnum meum non est de hoc mundo*. Theophylactum in cap. 18. Joannis, D. Bernardum lib. 3. de Considerat. cap. 1.

XIV. Probatur quarto rationibus, prima non implicat Dominium illud altioris ordinis quàm sit quodlibet humanum ac quod secum compatiatur particularia Principum terrenorum cum subordinatione, & aliud est sine ulla imperfectione & maxime honorificum, ergo Christo fuit communicatum, tum quia per hoc melius salvantur & explicantur Scripturæ quæ Christo ut homo est, concedunt Regiam dignitatem & dominium in omnes creaturas, tum quia hoc multis titulis Christo debebatur.

Primo, ratione unionis hypostaticæ per quam humana natura in unitatem suppositi divini assumpta, sicut omnibus creaturis excelsior facta est, ita facta est digna ut omnibus & in omnibus dominaretur & principaretur. Secundo, jure hæreditatis non utique terræ sed divinæ: Cum enim esset verus & naturalis filius Dei ratione suppositi divini quo natura humana in ipso terminabatur; paternam, etiam ut homo est, hæreditatem de jure naturali debuit obtinere. Tertio, jure redemptionis, ex hoc enim meruit ut perfectam haberet potestatem in hominem quem redemit, & in ea quæ homini subiciuntur. Quarto, jure meriti: humilitate enim, obedientiâ & exinanitione suâ infra omnia meruit ut in nomine ejus omne genu flectatur. Quemadmodum argumentatur & concludit Apostolus ad Philippenses cap. 2. Unde D. Bernardus lib. 3. citato de Considerat. ad Eugenium ait. *Christus hic est qui possessionem sibi vindicat & jure creationis, & merito Redemptionis, & dono Patris*.

Secunda ratio, quia etsi Christus in humanis existens, pauper fuerit, propterea quod ex paupertatis & sanctæ humilitatis amore hujus usui potestatis renunciare voluit, ne tamen de illa dubitare possemus aliquando aliquos ejus actus exercere voluit, ut Matthæi cap. 8. vers. 23. cum in finibus Gerazæ egerat demones quos ex energumenis eiecerat misit in gregem porcorum integrum, qui impetu abierunt præcipientes in mare & mortui sunt in aquis. Et Matthæi cap. 21. vers. 19. quando ficulneam maledicendo eam arefecit: nam licet illi quatenus miraculosi à potestate spiritali prodierint, quatenus tamen per illos rem alienam destruebat à potestate politicâ procedere debebant, non ordinariâ: non enim possunt Reges ordinarii pro suo arbitrio bona suorum subditorum dissipare aut destruere, non etiam indirecta, quia illa non concedit disponere de rebus subditorum nisi in casu necessitatis, quando scilicet aliter altior ille finis spiritalis haberi nequit. Cum ergo Christus potuerit fidei mysteria confirmare absque destructione illâ, procul dubio secus faciendo

XV.



faciendo evidens signum dare voluit se habere illud directum dominium rerum temporalium altum & excellens, quod potestatem confert de illis disponendi absolutè, etiam extra omnem casum necessitatis.

XVI. Tertia ratio, quia Christus etiam ut homo naturaliter & sine ullâ aliâ Dei concessione est caput omnium hominum, non quoad naturalem generationem, ut constat, sed quoad moralem gubernationem; ergò naturaliter habet jus dicendi in omnes, litesque omnium dirimendi, &c. Quippè Christus ut homo & ratione originis, quia est conceptus de Spiritu Sancto, & ratione personalis dignitatis, quia est filius Dei naturalis, & ratione donorum subsequentium, sapientia scilicet & prudentia, ac etiam virtutis & sanctitatis, ratione quarum nec falli potest nec fallere, quæ omnia in illo sunt sine mensurâ, in aliis verò tantùm secundùm mensuram donationis Christi, longo intervallo superat omnes. Cùm ergò horum omnium ratione non possit iudicium ejus in quavis materiâ non esse certum & infallibile, & in omnibus aliorum iudiciis incomparabiliter melius & præferibile, profectò omninò sequitur, quod naturaliter sit caput moraliter directivum & gubernativum omnium hominum, cui ex naturali obligatione, & seclusâ etiam omni explicitâ Dei ordinatione ex rectâ ratione debent obedire tanquam superiori, omnes quotquot illum norunt.

XVII. Dices hoc argumentum probat quidem ejus in personas & eorum bona potestatem, ut circa illas & hæc statuere possit, non tamen dominium, ut ea pro arbitratu suo dissipare possit & destruere. Respondeo & de hoc ultimo probare saltem consequenter: Licet enim absolutè loquendo imperium seu potestas & Dominium non sint necessariò conjuncta, ut patet in Regibus ordinariis, qui possunt leges statuere, lites dirimere, &c. non tamen de illorum bonis pro suo nutu disponere: in Christo tamen Domino nostro Ter Optimo, Ter maximo, illa duo sunt conjunctissima; & ea ratio quæ convincit illi tribuendum esse jus Regni in omnes, convincit etiam tribuendum

esse Dominium in ea, quia scilicet ratione unionis hypostaticæ, filiationis & cæterorum titulorum hic num. 12. & 14. relatorum, dignus est omni dignitate & autoritate.

Immo quod mirum mihi videtur, P. XVIII. Franciscus Amicus citatus qui contrarius est nobis, cogitur fateri quod unio hypostatica secum afferat fundamentum hujus domini reddendo naturam quam Verbum sibi substantialiter copulavit, dignam omni autoritate & potestate, quod mihi sufficit: infero enim ergo de facto illam autoritatem & potestatem habuit, vel afferatur ratio cur non habuerit? Maximè quod in Scriptura dicitur Dominus omnium, hæres universorum, dicuntur omnia illi subiecta, omnia data, omnia tradita à Patre, quæ omnia significant actualem traditionem: ac deinde quod si ea potestas non sit illi collata, sed voluntate Dei esset negata, nihil ex inde Christo virtutis aut meriti accederet, immò decederet plurimùm, cùm sic nec eorum usu se liberè privasset.

Dices non fuit negata, sed oblatam spontè recusavit: sed hoc esset probandum, quandoquidem illud ornamentum ei ratione suæ excellentiæ & dignitatis debebatur. Secundò, si majoris fuisset perfectionis illâ caruisse, ergo illa ei non debebatur; atqui debebatur ex concessis, & quia debebatur accepit; & ex hoc magis arguitur summus ejus in sanctam paupertatè affectus, quod cum tali dominio ob dignitatem suam carere non posset, in summâ tamen illâ rerum omnium copiâ quæ ad eum pertinebat, voluit extrema quæque pati ex amore paupertatis. Et hoc est quod miratur Apostolus 2. Corinth. cap. 8. *Qui cùm esset dives, (quoad jus scilicet & potestatem quam habebat sibi omnia vendicandi tanquam omnium primarius & supremus Dominus) propter nos factus est egenus. Nihil eorum volens.*

Instabis, perfecta paupertas excludit non tantùm usum, sed etiam Dominium rerum temporalium quod nemo negabit, sicut enim perfecta opulentia non solum in illarum usu consistit, sed etiam in Dominio: ita à contrario perfecta paupertas in utriusque abdicacione consistere

M

XX;

Synopsis

Magnabit

D.

Josephus

RV



consistere debet. Respondeo perfecta paupertas excludit Dominium ordinarium, non illud excellens & alioris ordinis. Ratio hujus responsionis est quod Dominium ordinarium ex appetitu humano divitiarum sit, & ex illo etiam retineatur, & ex se est propter illarum usum, nec Regia potestas ordinaria potest stare sine illis: non ita Dominium illud excellens quod à Deo confertur propter dignitatem personæ ad illius ornamentum, non autem propter divitiarum usum ut illas convertat ad propriam commoditatem, cum & sine illis potestas excellens quæ consistit in vi præcipiendi, leges ferendi, jus dicendi, lites dirimendi, puniendi, &c. à Christo exerceri poterit.

XXI. Adde quod Christus eam paupertatem habuit quæ ipsum decebat, paupertas autem cum exclusione domini excellentis ipsum non decebat, nec fieri poterat ut eo careret; cum unio hypostatica cum redderet dignum omni autoritate & potestate. Tandem si paupertatem cum exclusione Domini in Christo desideras, ut sit absolutum exemplar paupertatis, erit ut vis, si habuit jus ad Regnum Davidis ex humana successione, de quo statim: quia ei renunciavit cum illud habere & obtinere potuisset, si voluisset.

XXII. Dices frustra fuisset collatum Christo hoc Dominium cum nunquam in eo esset usum habiturum: Respondeo negando. Primò, quia fuit ad ornamentum personæ. Secundò, quia ex hoc habuit quod in summâ rerum abundantia quâ frui poterat, omnibus volens indiguerit. Tertio, quia aliquos quandoque illius actus exercuit, ut diximus supra.

XXIII. Dices iterum Christus ipse de seipso ait Joan. c. 18. Regnum meum non est de hoc mundo ergo, &c. Respondeo non dicit Christus regnum suum non esse in hoc mundo; sed tantum non esse de hoc mundo, non dicit non esse hic, sed solum non esse hinc: Mundus non facit eum Regem, sed Deus: non est Rex isto modo per successionem hæreditariam, vel electione & favore populi, aut vi vel armis, aliâvè viâ humanâ, sed alio sublimiori titulo ratione

unionis hypostaticæ per quam humana natura in ipso erat Deificata ac substantialiter Deo conjuncta.

Dices tandem, si illam potestatem Christus habuisset, haberet & Summus Pontifex ejus in terris Vicarius, quare enim diceremus transmisisse in ipsum spiritualem potestatem, & negaremus illam temporalem transmisisse? sed falsum quod Summus Pontifex hanc habeat, quia sequeretur illum etiam sine ordine ad finem spirituales & bonum animarum illam exercere posse, & sic omnia pro suo arbitrio immutare, Regna & sceptrâ ab uno ad alium transferre, &c. quod falsum est. Respondeo negando sequelam, nam nec totam suam potestatem spiritualem illi communicavit. Non enim potest ut Christus condere nova Sacramenta, facere miracula, &c. Sed illi hoc Christus de sua potestate contulit quod fuit necessarium ad bonum animarum & conservationem Religionis & Ecclesiæ à se plantatæ. Hæc autem directâ potestas in omnes homines & omnia Regna mundi non fuit ad hoc necessaria. Ergo, &c.

Tandem quid fortius in hujus Regiæ potestatis argumentum factò Cæsaris Augusti? Hic eo ipso quo Christus Dominus nascitur, jubet universum orbem describi ad ostensionem amplitudinis Imperii sui: vetat tamen eodem tempore se Dominum appellari. Quid hoc sibi vult? O miram divinæ providentiæ energiam! in eo quod jubet mundum describi de suo extollitur, in eo quod vetat se Dominum appellari, ex Deo deprimitur: paret ergo ille Deo volens nolens, in cuius manu cor Regum: Nescit ipse, sentit tamen ipse superiorem sibi adesse Dominum Christum, scilicet Regem Regum recenter natum; in cuius præsentia ipse licet aliorum Rex (non enim Christi Regnum aliorum Regnum excludit, sed suo substernit) subditus est cum suis subditis, cuius cum esset vassallus illo præsentiam recenter exhibente in homagii & recognitionis fidem Dominum se vocari prohibet. Sed his fortè diutius quàm par erat immoror, de hæc enim potestate & dominio non currit questio in argumento proposita, sed



sed de potestate quæ ei jure successio-  
nis & propagationis ex Davide com-  
petit: An scilicet habuerit jus heredita-  
rium ad regnum temporale Judæorum?

XXVI. Negat noster Thomas Waldensis  
tomo 1. Doctrin. Antiquit. fid. lib. 2.  
art. 3. cap. 76. & 77. & post ipsum Car-  
dinalis Bellarminus lib. 5. de Romano  
Pontifice, & alii his rationibus ducti.

XXVII. Prima & omnium validissima quod  
Jerem. cap. 22. vers. 30. dicitur de Je-  
chonîâ. *Scribe virum istum sterilem, vi-  
rum qui in diebus suis non prosperabitur,  
nec enim erit de semine ejus vir qui sedeat  
super solium David & potestatem habeat  
ultra in Iuda.* Christus autem est ex se-  
mine Jechoniæ, ut patet ex Genealogi-  
â Matthæi & supra dictis. Ex quo, in-  
quit Cardinalis Bellarminus lib. 5. de  
Romano Pontifice cap. 4. manifestè  
sequitur Christum non potuisse habere  
regnum temporale Judæorum ex suc-  
cessionem, vel falsa erit Prophetia, quæ  
disertis verbis ait fore ut nemo deinceps  
de posteris Jechoniæ habeat po-  
testatem in Judæa: Nec potest, inquit  
Bellarminus responderi posteros Je-  
chonîæ habuisse jus Regni, non tamen  
de factò sedisse, nam quid esset illud jus  
quod nunquam potuissent uti?

XXVIII. Confirmant hi suam sententiam ex  
Patribus. Nam D. Hieronymus in  
hunc Jeremiæ locum, & D. Ambrosius  
in Lucam cap. 1. quærent quomodò  
non pugnet hæc Prophetia Jeremiæ  
cum promissione Gabrielis Archangeli  
qui Lucæ cap. 1. ait Mariæ. *Dabit ei  
Dominus Deus sedem David Patris ejus.*  
Et respondent ideò non pugnare, quod  
Jeremias loquatur de regno temporali,  
Gabriel de spirituali & æterno.

XXIX. Secunda ratio, quia à captivitate Je-  
chonîæ usque ad Christum Eusebius in  
Chronico supponens illam incepisse  
Olympiade 47. anno 2. numerat annos  
585. Beda lib. de sex ætatibus annos 560.  
Driedo lib. 3. de Dogmat. c. 5. annos 596.  
alii plures, alii pauciores, nullus tamen  
minus quàm quingentos, quo tempo-  
re nullus ex semine Jechoniæ recupe-  
ravit Regnum. At tot annorum & sæ-  
culorum præscriptio jus omne abstule-  
rat à semine Jechoniæ Ergo, &c.

XXX. Tertia, quia etsi Regnum adhuc per-  
severasset in posteris Jechoniæ, quod

non, tamen non constat an Christus  
esset omnium posterorum ejus propin-  
quior Davidi ut ei in Regno succederet.  
Confirmatur, quia perveniret illud  
ad ipsum vel per Virginem, vel per Di-  
vum Josephum: non per Virginem,  
quia Regnum fuit translatum à lineâ  
Salomonis propter eorum peccata ad  
lineam Nathan juxta prædictiones. At  
Beata Virgo descendit recto ordine à  
Davide per Salomonem, ut supra dixi-  
mus. Deinde quia licet mansisset in li-  
neâ Salomonis, non constat aut quod  
fuerit filia veri hæredis, aut quod Reg-  
num deferretur ad mulieres: Et quavis  
hec adhuc illi cõcederentur, non tamen  
devenisset ad Christum, quia in Beatâ  
Virgine quæ illi supervixit hæretur. Non  
etiam per D. Josephum, quia esto des-  
cendat à Davide per Nathan secundum  
legem, non constat tamen quod in eâ  
lineâ habuerit prærogativam primoge-  
niti, seu illius ad quem primò spectabat  
jus Regni. Et licet hoc adhuc constaret,  
Christus non fuit ejus naturalis filius.  
Neque dixeris fuisse Adoptivum, quia  
hoc non sufficit. Nam majoratus non  
transit per adoptionem quando est in  
legitimi successoris præjudicium.

Quarta ratio, quia perfecta pauper-  
tas excludit non tantum usum, XXXI.  
etiam dominium rerum temporalium,  
maximè verò ordinariæ, ut supra res-  
pondimus. At Christo Magistro & ex-  
emplari totius perfectionis tribuenda  
est perfectissima paupertas, ergo non  
habuit jus nec dominium Regni Ju-  
daici.

Secunda sententia affirmat Chri- XXXII.  
stum fuisse jure successionis legiti-  
mum Davidici Regni hæredem. Ita ex  
nostris Bacchionius in 4. sentent. quæ-  
stion. 1. Prologi art. 2. §. 2. Antonius  
Marinarius libr. de Consonant. Jesu-  
Christi & Prophetarum cap. 6. Syl-  
veira tomo 1. in Evang. lib. 1. cap. 5.  
quæst. 1. Orlandi in 3. part. tractat. 4.  
disp. 10. num. 3. Matthias à Corona to-  
mo 2. de Sanctitate Roman. Ecclesiæ  
tract. 3. cap. 10. §. 2. Eandem etiam  
defendunt Armacanus lib. 4. de quæst.  
Armen. c. 16. D. Bernardinus Senensis  
tomo 3. de S. Joseph. Burgenfis Addit.  
in Matth. cap. Moralez in Matth. lib.  
2. tract. 9. Conclus. 1. Azorius lib. 2.  
M 2 instit.

Synopsis

Magnificat

D.

Josephus

RV



instir. moral. cap. 15. Abulensis in hæc verbis Zachariæ Prophetæ, *Ecce venit Rex tuus*: Alphonsus Mendoza in Relectonibus Theolog. de universali Christi Regno. Boza in Elucidar. Deipar. lib. 2. tract. II. cap. 3. Cornelius à Lapide in cap. 1. Matth. Et hæc quidem meo videri est certissima.

XXXIII Nam primò ad argumenta præcedentis sententiæ respondeo primò ad primum, si necesse esset, quod non (ut ex infra dicendis constabit) Regnum Davidicum ad Christum per Jechoniam & ejus recto ordine posteros pervenire; illud *to semen* apud Jeremiam posset explicari dicendo ibi semen duobus modis accipi posse, primò pro filiis immediatis, secundò pro tota posteritate Jechoniæ; primo modo accipi loco citato Jeremiæ non secundo, sicque veram fuisse Prophetiam: invenitur enim juxta hoc impleta, quia ex octo filiis Jechoniæ qui recensentur lib. 1. Paralip. cap. 3. vers. 17. Nullus sedit super solum Davidis, aut habuit potestatem in Judâ.

XXXIV Confirmari posset hæc responsio per textum ipsum Jeremiæ, nam verba illa, *Nec enim erit de semine ejus vir qui sedeat super solum David, & potestatem habeat ultra in Judâ*: sunt explicativa præcedentium, in quibus dicitur, vir sterilis & qui non prosperabitur: atqui Propheta non dicit absolutè non prosperandum, sed *in diebus suis*, ergo nec debet intelligi absolutè & sine limitatione quod non erit de semine ejus vir qui sedeat super solum David, sed *in diebus suis*, qui rectè limitantur ad dies ipsius Jechoniæ & filiorum ejus immediatorum. Quare Zorobabel filius Salathielis filii dicti Jechoniæ immediati, qui fuit vir probus & justus, fuit liberator & redux populi ex captivitate, & eorum Princeps, & licet dependeret à Cyro non tamen jure; & ideo in re fuit Rex Judæorum, quamvis ex prudentiâ politicâ ab isto nomine abstinuerit: verùm

XXXV. Respondeo secundò, cum nostro Bacchonio citato; etsi Regnum fuerit à Jechonia ablatum per Regem Nabuchodonozor & ejus successores, hæc tamen non fuit ablatio juris à Tribu Judâ aut familiâ Davidis, sed fuit ablatio

facti, fuit enim punitio Jechoniæ & posterorum delictis illius participantium per istum Regem tanquam tortorem non tanquam jus habentem: probatur hæc responsio ex psal. 88. ubi dicitur, *Ponam in seculum seculi semen ejus & Thronum ejus sicut dies Cæli*, ecce thronus datus est Davidi & semini ejus in æternum, & sic habuit jus æternum.

Confirmatur evidentissimè: quia si XXXVI ablatio ista fuisset non tantum juris, sed etiam facti Regni seu Sceptri à Familiâ Davidis, ergo celebris illa Prophetia Patriarchæ Jacob Genes. c. 49. v. 10. **NON AUFERETUR SCEPTRUM DE JUDA**, & Dux de femore ejus donec veniat qui mittendus est, inveniretur falsa. Probatur sequela, quia Christus qui est ille qui mittendus est, non venit nisi sexcentis fermè annis post ablationem istam ex dictis supra num. 27.

Quod autem Nabuchodonozor au- XXXVII ferens illi Regnum & filiis suis tantum fuerit tortor eorum & jus illorum usurpans, patet evidenter ex sequentibus in eodem psalmo; subditur enim statim. *Sed autem dereliquerint filii ejus legem meam & in iudiciis meis non ambulaverint, si justitias meas profanaverint & mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum*: & sequitur statim, *Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, & quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita*. Sed si jus fuisset acquisitum Nabuchodonozori, & ablatum omninò cum usu à posteris Davidis, dispersisset Deus misericordiam à David, & irrita fecisset quæ processerant à labiis suis, fuit igitur Nabuchodonozor tantum tortor, & sic jus Regni Judaici ad illum non transit. Unde pater Deum conservasse jus Regni posteris Davidis, ergo à fortiori Christo qui ex delictis parentum nullam pœnam aut reatum contraxit, ut est omnium sententia, Confirmatur ex Glosâ interlineari ad istum locum Jeremiæ quæ post D. Hieronymum illud, *Non erit de semine ejus vir*, ita explicat non erit vir, id est homo tantum, per quod excipitur Christus, qui non est homo tantum, sed homo & Deus simul.

Ad



XXXVIII Ad confirmationem, Respondeo Patres istos sic explicandos quod scilicet Jeremias loquatur de regno temporali quoad usum qui etiam temporalis est, quo sensu admitti potest sine assertio- nis nostræ præjudicio nullum ex semi- ne Jechoniæ, nec ipsum Christum se- disse super solum David, non enim Christus in illo temporaliter sedit: Quod autem Gabriel promittit Chri- stum sessurum non hoc intelligendum de sessione seu usu humano & téporali sed de spiritali: quod scilicet Christus acceptum à Progenitoribus regnum temporale in spirituale mutavit, cujus proinde usus non fuit nisi spiritalis.

XXXIX Ad secundam rationem respondeo quidquid sit de jure præscriptionis non habuisse locum apud Judæos, quod patet ex lib. Judic. c. 11. & ex commu- ni doctrinâ SS. Patrum & Theologorū qui justam sustinent fuisse invasionem Hæbreorum contra Chananeos, eo quod filii Sem ante annos circiter quin- gentos per unum deturbati à filiis Cham, in suis posteris Israëlitis legiti- mam vindictam exercebant, & posses- sionem turbatam & usurpatam repe- tebant. Vide Epiphanium hæres. 66. & Cassianum collat. 5. c. 4.

XL. Ad tertiam rationem satisfiet infra sect. sequenti.

XL I. Ad quartam rationem respondeo ad majorem, perfecta paupertas excludit non tantum usum, sed etiam Domi- nium maximè verò ordinarium re- rum temporalium excludit, voluntate concedo, necessitate nego: At si Chri- stus non habuisset jus ad Regnum caruisset necessitate, imò & ipse usus qui ex Dominio sequitur, quo caruit Christus, fuisset etiam necessarius, ac sic Christus non exercuisset summam & perfectissimam paupertatem quæ men- suratur & ex objecto quod deseritur & ex affectu quo deseritur: Cum enim summa abundantia sit Regia, si non habuisset jus ad Regnum, ut & illi & ejus usui voluntate, non necessitate ren-unciare posset, non posset dici sum- mam paupertatem exercuisse.

XLII. Probatum secundò, ex multis Scrip- turæ locis. Nam primò, Matthæi 21. v. 5. ex Zachariæ Prophetiâ dicitur de Christo, *Eccè Rex tuus venit tibi*, idest

filia Sion: in quæ verba ita Abulensis quæst. 30. *Dixit Rex tuus, quia de Mes- sia loquebatur, quia Rex erat, de semine enim Regali Davidis erat & cui promissum erat quod regnaret Luca c. 1. & Jeremia c. 23.* Et paulò post Christus *vocatus est Rex Judæorum in titulo Passionis, qui ti- tulus Deo placuit, tanquam conveniens; idè licet Judæi voluerint illi delere, Deus non permisit, dans in mentem Pilato quod sic maneret titulus Ioann. cap. 19. & cum Christus omnium Judæorum esset speciali- ter Rex, adhuc specialius erat Rex Sion & Jerusalem quia ibi erat Metropolis Regni.* Hæc Abulensis. Quod si ex unione personali ad verbum diceretur hic Christus Rex, ut fortè respòdebat non- nullus, non Judæorum solam neque Jerusalem & Sion speciali titulo & jure Princeps crederetur, sed totius orbis. Respondeo causalis illa toties in Scrip- turâ repetita, quâ dicitur Christus Rex quia est filius David, nimis clarè sig- nificat jus ad regnum Davidis & ex suc- cessione Davidis.

Secundò Matthæi cap. 27. ubi Pila- XLIII, tus interrogans JESUM, *Tu es Rex Ju- dæorum?* id sanè inquirebat, an jus ali- quod haberet ad regnum Judæorum: videbat enim clarè Pilatus necdum ex- ercitam fuisse à Salvatore potestatem Regiam, quare de jure solum quære- bat. non utique excellenti & altiori quod ipsi ignotum erat, sed ex succes- sione. Annuit Pilato JESUS candidè dicens, *Tu dicis*, ne igitur extra rem res- ponderit & non ad mentem interro- gantis id de jure & actione speciali con- cessit: negavit de usu & quo ad exter- num apparatus.

Tertiò, ex Lucæ cap. 14. vers. 15. XLIV. qui clamabant benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israël, & Lucæ cap. 19. reclamantibus Pharisæis, obli- tit Christus dicens: *Dico vobis quia si hi tacuerint lapides clamabunt*: constat au- tem clamorem populi de regno tem- porali per propagationem à Davide in- telligendum esse.

Quartò, Lucæ cap. 1. Gabriel dicit XLV. ad Beatam Virginem, *Dabit illi Domi- nus Deus sedem David Patre ejus.* At David nullam habuit sedem spiritua- lem, sed tantum temporalem quia non fuit Sacerdos, respondet noster Wal-



denſis citatus verba ſequentia ad textum allatum. *Et regnabit in domo Iacob in aeternum, & Regni eius non erit finis*, Satis indicare hunc locum non bene intelligi de regno temporali Iudæorum, ſed de ſpirituale: *Nunquid enim*, inquit Waldenſis, ex D. Bernardo, *temporale Iudæorum eſt aeternum? nunquid illius non eſt finis: aut perfidiam Iudæorum defendis qui dicunt nondum ceſſaſſe unctiōnem, ac per hoc necdum veniſſe Sanctum Sanctorum? Dabit ergo*, inquit idem Waldenſis, *ei ſedem David Patris ſui non typicam, ſed veram qua idcirco appellatur Sedes David, quia hæc in qua David temporaliter ſedit aeterna illius gerebat imaginem, illo ſcilicet loquendi uſu, quo ſæpè reperimus in ſcripturis ſignificans poni pro ſignificato: quomodo enim in Sede qua aeterna non eſt in aeternum ſedebit? vel regnaturus eſt? quarenda eſt igitur Sedes aeterna Davidis in qua ſedeat & regnet in aeternum. Hæc noſter Waldenſis.*

XLVI. Sed replico, ſi Regnum temporale Davidis ante mutationem illius in ſpirituale per Chriſtum factam penitus extinctum fuiſſet & exciſum in Jechoniâ, hoc eſt annis pluſquam quingentis ante Chriſtum, quomodo poſſet dici quod in illo à tanto tempore exciſo ſediſſet Chriſtus? quomodo poſſet dici mutatum à Chriſto Regnum temporale, quod à tanto tempore amplius non erat, in ſpirituale? quomodo poſſet dici quod illud regnum temporale à tot ſæculis exciſum, eſſet typus & figura Regni Chriſti quod eſt aeternum? quare omninò dicendum per iſtas particulas, *Et regnavit in domo Iacob in aeternum, & regni eius non erit finis*. Significari regnum temporale ad ſe jure ſucceſſionis deportatum non temporaliter gubernaffe, ſed in ſpirituale mutaffe, & ſic conſequenter de temporali factum eſt aeternum, de humano divinum.

XLVII. Quarto, ex Joannis cap. 1. verſ. 49. nam Nathanaeli dicenti Chriſto, *Tu es filius Dei, tu es Rex Iſrael*, non tantum conſenſit Chriſtus, ſed præterea addidit, *quia dixi tibi vidi te ſub ficu credis*, quo ſignificavit propoſitionem Nathanaelis *Tu es filius Dei, tu es Rex Iſrael*, fuiſſe profeſſionem fidei quæ erat in intellectu Nathanaelis: Nathanael autem de regno temporali Judaico loque-

batur, ſicut enim appellando eum filium Dei ejus divinitatem confeſſebatur, ita dicendo eum eſſe Regem Iſrael temporalem ejus dignitatem prædicare volebat. Similiter & Magi quos nullum dubium eſt Deo inspirante dixiſſe, *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum*: Quod intelligere de ſpirituale regno eſt vim inferre verbis & ſenſui Scripturæ, maxime verò ſi excludas temporale.

Nec vim hujus argumenti, quantum XLVIII ſpectat factum Magorum, infirmat quod reſpondet noſter Waldenſis, Magos ſcilicet ex thure quod Chriſto Domino obtulerunt Deum credidiſſe, ſicque non Regem temporalem, non inquam, hoc infirmat; nec enim dicimus Chriſtum non fuiſſe ab eis nonniſi ut Regem agnitum, ſed dicimus quod ille natus Rex verus & legitimus Iudæorum, fuerit etiam ut Deus ab illis agnitus, & id eò ſolus inter omnes qui fuerunt Reges Iudæorum à cælo demonſtratus, & à Magis perquiſitus, & ſicut ab illis divino inſtinctu ut Deus in thure adoratus, ita eodem inſtinctu verus Rex Iudæorum proclamatus, & in auro agnitus. Hanc eandem noſtram ſententiam probant alii aliiſ Scripturis, ſed hæc ſufficiant.

Quintò ex lib. 1. Machabæorum XLIX. cap. 14. verſ. 41. ibi dicitur quod cum regnum jam ceſſaſſet in familiâ Davidis, Senatus ac Principes Iudæorum ex communi conſenſu convenerunt *Simonem Machabæum eſſe Ducem & Sacerdotem ſuum in aeternum donec ſurgat Propheta Domini fidelis*. Ex quo patet Principatum à familiâ Davidis ex communi Iudæorum conſenſu tranſlatum fuiſſe ad familiam Machabæorum: quæ tranſlatio non fuit abſoluta & in perpetuum, ſed ad tempus, ſcilicet *donec ſurgat Propheta Domini fidelis*, id eſt Chriſtus Dominus, cui debebatur ut volunt Dionyſius Carthuſian. D. Thomas, Lyranus, Hugo de S. Victore, Serarius & alii; & verò manſit in dictâ familiâ Simonis Machabæi uſque ad Herodem Aſcalonitem qui eum uſurpavit, & quando Chriſtus advenit: ergo tunc Chriſtus Dominus acquiſivit jus integrum ad iſtum Principatum.

Quod ſi velis cum aliis Interpretibus illud donec ſurgat Propheta Domini fidelis



fidelis, intelligi de alio Propheta fideli Domini, adhuc sequitur idem quod hic asserimus, non fuisse scilicet Regnum excisum quoad jus à familiâ Davidis propter privationem tam diuturnam illius usus, sed cum ignotum esset quis illius verus esset proprietarius & legitimus hæres propter magnam confusionem rerum Judaicarum, depositum est ad manus Machabæorum donec veniret aliquis Propheta qui de hoc eis responderet: ac consequenter Machabæi non suo nomine, sed veri Principis qui latebat, Principatum administrabant.

L I. Probatur tertio nostra assertio ex Patribus, D. Athanasio serm. de Beatissima Virgine post med. explicante illud psalmi 109. de Christo, *Dixit Dominus Domino meo, &c.* ubi sic ait: *Acceptis his verbis thronum Davidis corporaliter & ratione Prosapia quâ Pater illi fuit David.* D. Epiphanio hæres. 29. ubi ait, *Christus habet Regiam dignitatem, quia est ex semine Davidis Regis secundum carnem.* Quæ verba nullus aliter potest interpretari quàm de Regno temporali Judæorum, quod accepit eo titulo quod est filius Davidis. Vide item D. Hieronymum in cap. 22. Hierem. circa finem.

L II. Confirmatur ex Ezechielis cap. 21. vers. 25. ubi de Sedechia successore Jechoniæ sic ait Propheta. *Tu autem profane impie Dux israel, hæc dicit Dominus, Aufer coronam, tolle coronam, & hoc non factum est, donec veniret cujus est iudicium & tradam ei.* Ubi D. Hieronymus & Glossa interlinearis dicunt Coronam regiam ablatam esse à domo Judæ ad Christum cui reservata est. In cujus confirmationem clarius Septuaginta Interpretes vertunt. *Aufer coronam donec veniat cui debetur.* Tandem observa in patu allato verba ista, *Et istud non est factum.* Id est non est omnino ablata corona, donec veniret cui debetur, id est Christus: juxta Prophetiam Jacob præallatam. *Non auferetur sceptrum de Judæ, nec Dux de semine ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Ablata est ergo donec veniret cujus est, quia nullus sedit in solio David à Jechoniâ, sed non est omnino ablata, quia jus semper

mansit penes legitimum hæredem usque ad Christum, qui tandem in eo sedit, ab ipso in spirituale & divinum immutato.

Probatur quarto & ultimo, non video quanam ratio adduci posset quare Deus potius addiderit Tribui Juda quàm aliis sceptrum Israeliticum, cum Judas fuerit tantum quartò genitus inter duodecim fratres suos, nisi quia Christus ex eo descensurus erat: Quare cum ex illâ Tribu Christus natus sit, neque hoc tantum, sed etiam ex illâ familiâ in istâ Tribu, quæ inter omnes Regnum obtinebat, scilicet ex Davidicâ natus sit, & propter ipsum Regnum & Tribui & familiæ isti addictum fuerit, omnino consequens videtur id ita divinitus constitutum fuisse, quia Christus ex eâ debebat Rex esse, & Regnum istud obtinere & elevare.

Et licet illud transmutando in spirituale, ejus usui ut temporale est absolute renunciaverit, volens propter nos esse egenus, ut tamen de eo nullum superesset dubium, immò in illius manifestissimum argumentum, præter multa alia adduco ingressum illum regalem in Civitatem Jerusalem tanquam regni sui Metropolitim acclamantibus populis & dicentibus, *Benedictus qui venit in nomine Domini Rex israel, & benedictum quod venit Regnum Patris nostri David,* ubi nomen Regis israel aut usurpationem nominis Regni Patris eorum David Christus non repulit, quia & Phariseis impedire volentibus restitit dicens: *Dico vobis quia si hi tauerint lapides de pariete clamabunt.* Cum ergo populus acclamans his verbis nihil nisi temporale conciperet, Christus sic approbando clamorem populi temporale Regnum sibi tribuentis, tale se habere confirmavit, quod tamen ut dictum est in spirituale transmutavit.

Dices fugit aliquoties Christus ne Rex à turba constitueretur: Respondeo id tunc fecisse non in die Palmarum, ut ostenderet se nolle temporaliter gubernare, sed spiritualiter,

Synopsis

Magnificat

D.

Josephus

RV  
111



## SECTIO II.

*An per Mariam Matrem,  
an verò per D. Iosephum hoc  
jus successionis ad Regnum  
Iudaicum ad Christum dela-  
tum sit?*

L.V. **P**rima sententia est illorum qui asserunt hoc jus successionis ad Christum pervenisse non per D. Iosephum, sed per Beatam Virginem: Ratio illorum est quod Christus non habeat à D. Iosepho quod sit de Tribu Judà aut de stirpe David, quibus privativè erat addictum jus istius regni, sed à Beatâ Virgine, à quâ solâ carnem traxit & sanguinem, ac consequenter omnem nobilitatem. Cùm ergo Matthæus lineam prosequatur descendentiū ex Davide per Salomonem, ut constat, & Beata Virgo recto ac inflexo ordine ab iisdem descenderit, ut constat ex dictis ad primam objectionem contra Genealogiam supra c. 3. sequitur omninò quod per illam ad Christum filium suum, non verò per D. Iosephum istud juris pervenerit.

L.VI. Sed hæc ratio non concludit, primò, quia etsi à solâ Virgine omnem nobilitatem carnis traxerit Christus, eo quod ab illâ solâ traxit carnem. Attamen potuit à D. Iosepho, uti Patre suo & longè strictiori modo quàm legali alia traxisse; puta, jura, actiones, credita, titulos, hæreditatem, regnum: & de factò traxit ab eo hoc jus ad Regnum Davidicum quod à Beatâ Virgine trahere non potuit. Nam cùm istud Regnum à Salomonis lineâ ad lineam Nathan esset translatum, ex quâ nullo modo est B. Virgo, est verò D. Iosephus secundum legem ut diximus; nullatenus regnum quod ad illam pervenire non poterat, poterat verò ad D. Iosephum ab eâ, sed ad hoc accipere debuit. Secundò, quia etsi à lineâ Salomonis non fuisset translatum regnum, licet etiam mulieres proximiores illius hæredes esse potuissent: quod nullatenus credibile est, licet tandem

certum esset Beatam Virginem omnibus masculis fuisse Davidi & Salomoni propinquiorem, cùm è contra Pater D. Iosephi, ut relatus in Genealogiis videatur fuisse major natu & proximior Patre B. Virginis Joachimo subcicito (quæ tria prius probare deberet hæc sententia) non tamen adhuc ad Christum pervenire potuit per Virginem: quia cùm Beata Virgo supervixerit Christo, jus istud ad illam devolutum in eâ steterit, nec eâ vivente ad Christum transire potuisset, cùm tamen potuerit transire à D. Iosepho ad ipsum utpote qui D. Iosepho superstes fuit.

D. Bernardinus Senensis tom. 3. ser. L.VII. de S. Iosepho qui docet nobiscum certò certius Christum fuisse jure successionis Regni Davidici hæredem, quoad hanc controversiam est ambiguus, an per Mariam an autem per D. Iosephum in illud successerit; verba illius hic admetiri lubet. *Fuit, inquit, Ioseph primogenitus de stirpe Patriarchali, Regali & Ducali secundum lineam rectam: nam Evangelista Matthæus cap. 1. lineam rectam omnium predictorum Patrum deduxit ab Abraham usque ad Virginis Sponsum, Ex quo patet quod dignitas Patriarchalis, Regalis atque Ducalis, in isto fuit terminata, quia Maria & Ioseph erant cognati ejusdem Tribus, & secundum morem Scripturarum Genealogia per viros computantur, & sic Virgo & Ioseph simul fuerunt descripti in Bethleem, Luc. cap. 2. velut de unâ stirpe naturali generati. Hæc secundum Hieronymum & Nicolaum de Lyra. Quod Beata Virgo & Beatus Iosephus adhuc viventes futuri essent successores legitimi Regni David, nisi ab Herode & alienigenis fuisset usurpatum, probatur quia Christus Dominus fuit Rex ille de semine David. promissus ipsi David 3. Regum cap. 7. Videndus Divus Bernardinus propter hanc citationem. Cùm ergo omnes nobilitates & dignitates respectu sanguinis habuerit Christus à sola Matre suâ, constat quod ipsa Virgo benedicta rectâ lineâ descendit de genere David, & ei debebatur Regnum Iudaicum, & hanc Regni dignitatem transmisit Virgo in Christum filium suum, quia fuit filia David uti in Psalmo 44. ait. Altitit Regina à dextris tuis. Et subjungit immediate, Audi filia & vide, &c. Et sic verum titulum scripsit Pilatus super Crucem Ioan. cap. 19.*



cap. 19. JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM. *Et posito sine prejudicio veri, quod ipsa Virgo non esset proximior ad successionem ipsius Regni Iudaici saltem non potest negari, cum ad ipsum Ioseph de jure pertineret, qui de Regio semine descenderet per rectam lineam masculinam ut patet Matth. cap. 1. Jacob genuit Ioseph Virum Mariæ. Hæc Divus Bernardinus.*

LVIII. Censeo ego istud iuris ad Christum pervenisse non per Mariam Matrem carnalem, sed per Iosephum Patrem superlegalem; posse tamen dici etiam per Matrem quatenus scilicet Beata Virgo, à quâ solâ est, nubens D. Iosepho, ad quem recto ordine tanquam ad ultimum & directum Davidis hæredem Regnum devolutum erat, fecit illum filium D. Iosephi ac consequenter ejus necessarium hæredem. Hujus sententiæ sunt quàmplurimi, inter quos è nostris Doctor Resolutus Joannes Bacchonijs in 4. Sentent. quæst. 1. Prologi art. 2. §. 2. circa med. Franciscus Lucas & Cornelius à Lapide in c. 1. Matth. Possinus apud Bollandum, & Bollandus cum socijs in Actis Sancto. Mensis Martii tomo 3. ad 19. ejusdem mensis in S. Iosepho, §. 6. & alii.

LIX. Probatur primò, ex Genealogiis Christi & modis illas deducendi: Cur enim quæso Christi ex Davide descendus per D. Iosephum non verò per Mariam ab illis deducitur, nisi quia censuerunt & voluerunt ut intelligeremus D. Iosephum esse Christi Patrem & respectu ejus tenere locum Patris in ordine ad successionem ac si eum genuisset: ac etiam quod D. Iosephus recto ordine ex Davide descendens directus ejus hæres extiterit, ac consequenter Christus per ipsum, ut ipsi conceptus & natus ex suâ conjuge de tempore matrimonii cum ipsâ.

LX. Confirmatur ex D. Bernardino Senensi mox citato, ibi enim licet videatur permitttere dubitare an Christus per Beatam Virginem successerit in istud Regnum, cum non ita constet ipsam esse directam Regum descendentem & Regni hæredem, semper tamen sibi constat in affirmando quod saltem id non possit negari de D. Iosepho. Quare cum D. Iosephus & B. Virgo nec fuerint

eadem Patre geniti, nec potuerint esse uterque simul & semel istius Regni hæres, oportet ex fundamento D. Bernardini ut fuerit Christus hæres istius Regni per D. Iosephum: saltem certius est ex D. Bernardino successisse in istud Regnum per D. Iosephum, quàm per Beatam Virginem.

Secundò, quia non est credibile jus Regni Davidici ad mulieres potuisse pervenire, & ut pervenire potuisset, non potuit illud ad Christum per Virginem pervenisse, quia cum Christus ante Virginem mortuus sit non expectavit hæreditatem. Cum ergò ex prædictis constet Christum Regem fuisse Iudæorum jure successionis, oportuit omninò ut illud acceperit à D. Iosepho qui ante ipsum mortuus est.

Tertiò, id etiam conjicio ex hoc quod in Scripturâ soli filii Davidis immediati, ut est Salomon, &c. D. Iosephus & Christus dominus dicantur filii Davidis, ergò D. Iosephus & per hunc Christus Davidis hæredes, ut illi.

Quartò, probatur ex Lucæ cap. 1. vers. 32. ubi Angelus ad Mariam de Verbo in eâ incarnando loquens dicit, *Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus.* Ubi nota non dicit Angelus *Patris sui*, sed *Patris ejus*. Quare nomê Patris ibi non refertur ad David, quod bene advertendum est, sed ad alium: quis autem ille alius Pater Christi quàm D. Iosephus? Ergò, &c. Est ergò sensus verborum istorum Lucæ hic, dabit illi Dominus Deus sedem David quæ est Patris ejus D. Iosephi.

Objicies, ibi dicitur dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, non dicitur reddet vel restituet ei Dominus Regnum David, quasi posteri Davidis aliquod adhuc jus ad illud habuerint, sed simpliciter dabit illi Dominus Deus sedem, ut intelligamus Christum ex Dei dono, non verò hæreditariè aut ex humanâ successionem illud Regnum accepisse. Respondeo hæc ratiocinatio nimis grammaticalis est. Respondeo secundò, quod cum Regnum tamdiu fuerit extra lineam Salomonis, posse dici ei datum, cui ita conservatum, & ad quem post tot annorum centurias & per talem viam reversum.

N

SECTIO

Synopsis

Magnificat

D.

Iosephus

SV  
an



## SECTIO III.

*Quomodo per D. Iosephum hoc  
Regnum Davidis ad Chri-  
stum pervenerit?*

LXV. **S**criptores qui in precedenti Sectio-  
ne conveniunt in hoc quod Chri-  
stus non per Mariam, sed per D. Iose-  
phum in regnum successerit Iudæorum,  
discrepant in explicando quomodo  
hoc fieri potuerit?

LXVI. Noster Bachonius loco citato his  
„ verbis explicat: Descenderat enim, in-  
„ quit, jus Regni David per Salomonem,  
„ per lineam descendantem usque ad  
„ Ioseph: Nam Ioseph non solum fuit  
„ popularis homo de Tribu Judæ, sed  
„ etiam de domo David Regiæ, Matthæi  
„ c. 1. & Lucæ c. 2. Sed Deus voluit &  
„ approbavit, quod ipsi quibus jus de-  
„ derat, quod etiam jure adoptionis filii  
„ per eos adoptati, sui hæredes succede-  
„ rent: v. g. Deus dedit hæreditatem  
„ Isaac, Jacob, & successoribus genera-  
„ tionis filiis: in illa debuerat successisse  
„ Esau, & tamen Isaac adoptavit in hæ-  
„ redem secundo-genitum, Genesis c. 25.  
„ & abstulit ab Esau dicens: *Major ser-  
„ viet minori.* Et Isaac hæc post hoc ap-  
„ probavit Genes. c. 27. *Dominum tuum  
„ illum constitui.* Similiter de voluntate  
„ Dei Jacob, sceptrum abstulit à Ruben  
„ primogenito & dedit Iudæ, Genes. c. 49.  
„ Igitur eadem ratione cum dedit filio  
„ Virginis solum David Isaiæ cap. 9.  
„ & solum David ad Ioseph per lineam  
„ descendantem venerit, Ioseph illum  
„ in filium adoptavit notoriè, nam cu-  
„ ram ejus notoriè egit, traducendo ma-  
„ trem ejus tanquam legitimam uxorem  
„ suã in Bethleem, &c. Igitur pater quod  
„ sceptrum David jure humano Christo  
„ competit. Hæc noster Bachonius.

LXVII. Illi consonant Franciscus Lucas &  
Cornelius à Lapide in c. 1. Matth. ad  
illa verba, *Jacob autem genuit Ioseph vi-  
rum Mariæ.* Hujus ultimi sententiam  
totidem ejus verbis accipe: Ibi ergo  
respondens ad quæstionem cur S. Mat-  
thæus retexit potius genus Iosephi,  
quàm Beatæ Mariæ, cum ex hæc solâ  
natus sit Christus? pro secunda ratione  
„ hujus modi procedendi dicit: Id idè  
„ fecisse Matthæum, quia Ioseph fuit ve-

rus & legitimus Christi Pater (câ scilicet  
„ cet ratione & modo quo infra part. 2.  
„ tract. 2. explicabo) & quia per Ioseph,  
„ non per Mariam Christus fuit hæres  
„ sceptri & solii Davidici, prout Deus  
„ promiserat Davidi 2. Regum c. 7. v.  
„ 12. Psalm. 88. & 131. & rursus 3. Reg.  
„ c. 9. v. 5. Sceptrum ergo Juda non tan-  
„ tum ex Dei promissione & donatione,  
„ sed & hæditario successione jure per  
„ Ioseph devenit ad Christum: si enim  
„ jure communi in hæreditatem paren-  
„ tum succedunt filii qui dumtaxat per  
„ publicam famam censentur filii; item  
„ illi qui à parentibus adoptantur, quan-  
„ tùm magis Christus successit Iosepho Pa-  
„ trisuo, utpote natus ex ejus conjugè  
„ virtute & dono Spiritus sancti. Quare  
„ sicut Iosephus habebat in Christum jus  
„ paternum, puta omnia jura quæ ha-  
„ bent Patres in filios: sic vicissim Chri-  
„ stus habebat erga Iosephum jus filiale,  
„ scilicet omnia jura quæ habent filii  
„ respectu parentum, ac consequenter  
„ jus quoque regni Judaici post mortem  
„ Iosephi: quod cum demonstrare vellet  
„ Matthæus, qui ut ait S. Augustinus,  
„ præ cæteris Evangelistis regiam Chri-  
„ sti dignitatem persequitur, idcirco fuit  
„ illi Genealogia Ioseph texenda non  
„ Beatæ Virginis, utpotè quæ viris su-  
„ perstitibus (qualis erat Ioseph,) ex Da-  
„ vide & Regibus prognatis, Regni hæ-  
„ res esse non poterat, ita Franciscus  
„ Lucas. Unde consequenter dicendum  
„ & Iosephi Patrem & Avos fuisse pri-  
„ mogenitos aut maximos natu ut jus  
„ regni ad eos devolveretur, Deo scili-  
„ cet ita ordinante, sicut idem ordinavit,  
„ ut Roboam, Asa, Josaphat, cæteri que  
„ Davidis posteri usque ad Iechoniam  
„ essent primogeniti, ex iisque Christus  
„ nasceretur, atque ita fieret solii Davi-  
„ dis legitimus successor. Huc enim or-  
„ dinavit, apteque disposuit Deus om-  
„ nes hæc generationes, uti & cætera  
„ omnia, ad majorem scilicet Christi  
„ gloriam, Regni jus, Regiamque di-  
„ gnitatem: idque Deo fuit perfacile.  
„ Idem enim fecit in Ioakim, Sedecia,  
„ aliisque impiis Regibus, ergo multò  
„ magis in Christo. Hoc est quod dici-  
„ tur Luc. c. 1. *Dabit ei Dominus Deus se-  
„ dem David Patris ejus,* & Genes. c. 49.  
„ vers. 10. *Non auferetur sceptrum de Juda,*



„ nec Dux de favore ejus, donec veniat  
 „ qui mittendus est, puta Christus, qui sceptrum  
 „ iniquè per Herodem Judæ ablatum restituat, sitque Rex Judæorum,  
 „ imò regnum eorum evehat, & in longè  
 „ sublimiorem statum commutet, ut  
 „ ex corporali faciat spirituale, ex terrestri  
 „ cælesti, ex temporali æternum.  
 „ Ita Franciscus Lucas & alii qui profundè  
 „ hæc scrutati sunt. Quare immeritò nonnulli  
 „ Theologi hanc de Christi hæreditario jure ad  
 „ Regnum Judæorum sententiam rejiciunt.  
 „ Hæc Cornelius à Lapide.

LXVIII. Possinus verò & Bollandus loco citato hanc viam carpunt ex ipsis eorum  
 „ verbis. Extincto sine liberis Iechoniâ  
 „ Salomonidarum postremo, in vanam  
 „ brevemque spem Judæis Babylone captivis  
 „ paulò ante mortem suam rursus ostenso,  
 „ prorsus Salomonica Stirps exaruit, &  
 „ quemadmodum Sanctæ Brigittæ revelatum  
 „ fuit, non est completa in Salomone  
 „ promissio, sed ab illius posteris transit  
 „ ad posteros fratris ejus Nathan ex eadem  
 „ Bethsabeâ nati post Salomonem: à quo  
 „ Nathane carnalis generationis lineam ad  
 „ Salathielem usque deductam pete sis ex  
 „ Lucâ, & concludere Matthæum in eo  
 „ ejusque posteris legalem dumtaxat  
 „ successione spectasse. Atque huc spectat  
 „ totus psalmus 88. in quo prophetico spiritu  
 „ David istam Principatus à Salomonidis ad  
 „ Nathanitas unâ cum promissione sibi  
 „ de nascituro ex se Messîâ factâ  
 „ translati, commutationem miserabiliter  
 „ deplorat postquam ita magnificè extulisset  
 „ misericordias David fideles: hoc est  
 „ Davidi absolutè & irrevocabiliter  
 „ additas, quales cum sperasset eas quoque  
 „ fore quæ fuerant in Salomonem traditæ,  
 „ nec sibi persuassisset paternæ indignationis  
 „ flagella filiis peccantibus intentata,  
 „ usque ad commutationem Christi processura,  
 „ rursus sibi factâ juramenta repetit: &  
 „ quasi non observasset Deum, de se  
 „ Davide uno dixisse: *Misericordiam autem  
 „ meam non dispergam ab eo, sed eam in aliquo  
 „ filiorum ejus implebo, nulli nominatim  
 „ obstrictus, & pro cuiusque meritis erga  
 „ singulos me habiturus, ita dolenter  
 „ exclamat: Tu verò repulisti & despexisti,  
 „ Reclamam scilicet stirpem, eatenus à Salo-*

„ mone deductam, distulisti Christum  
 „ tuum, sive aliò transtulisti. Deinde cætera  
 „ persequens quæ sunt in urbis excidio &  
 „ Salomonidarum interitu lamentabilia:  
 „ *Vbi sunt, inquit, misericordia tue antiquæ  
 „ ..... memor esto opprobriorum tuorum  
 „ ..... quod exprobraverunt inimici tui  
 „ ..... commutationem Christi tui.*

Gentiles videlicet insultabant post mortem  
 „ Iechoniæ, Iudæis, eatenus arbitratris  
 „ spem suam in Salomonidis completam iri,  
 „ nunc eam demùm parere vanam: sed  
 „ minimè vanam fuisse, quamvis aliter atque  
 „ ipsi crediderant accipiendam, & in  
 „ Nathanitarum successione complendam  
 „ agnoscerent, Divinæ voluntati in fine  
 „ Psalmi acquiescens Prophetâ dicendo  
 „ *fiat, fiat.* Exinde tamen difficilius  
 „ fuit Iudæis certa illa atque infallibilis  
 „ Messîæ ex Davide expectatio: quæ  
 „ difficultas obscuritasque tunc etiam  
 „ crevit, quando in morte Jacobi qui  
 „ Sancto Iosepho atque adeò etiam Mariæ  
 „ Virgini Pater legalis assignatur, defecit  
 „ principalis illa per Abiud ducta  
 „ Zorobabelidarum propagatione, & ut  
 „ ad veros repromissionis hæredes  
 „ perveniretur, per carnales generationes  
 „ Reza altero Zorobabelis filio descendendum  
 „ fuit ad posteritatem Heli: idque  
 „ præmortuo Joachimo, ut proinde eo  
 „ omisso post Jacob, immedie atè fuerit  
 „ Ioseph nominandus Vir Mariæ, non  
 „ qualiscumque, sed ut Attici dicunt  
 „ *epidicazomenos.* Cognationis proxima  
 „ jure sumptus ex præscripto legis: quo  
 „ sensu viri nomen videri non potest à  
 „ Genealogiâ alienum, utpotè idoneum  
 „ constituere gradum unum: eo enim  
 „ fiebat ut vice Patris Christo Iosephus  
 „ esset, in eumque etiam si nullum cum  
 „ Virgine Matre fuisset matrimonium,  
 „ solius agnationis jure, tanquam in  
 „ legalem filium, omne jus sibi acquisitum  
 „ refunderet: Quia Christus mediante  
 „ Matre ex Spiritu Sancto fecundatâ,  
 „ adeoque nihil peregrini sanguinis in  
 „ genus suum inferente, tam verè fuit  
 „ filius legalis Iosephi, quam verè  
 „ mediantem eadem Matre & Joachimo  
 „ erat filius & hæres Heli communis  
 „ Mariæ & Iosephi Genitoris: quem  
 „ representando, Christus fiebat idoneus  
 „ adeundi cuiusvis juris revoluti in  
 „ ipsius Heli de-

N a

mortui

Synopsis

Magnificat  
D.  
Iosephi  
SV  
an



„ mortui caput per obitum filii Iose-  
 „ phi nullâ sobole ex se propagatâ mo-  
 „ rientis.

LXX. „ Ad eò ut nuptiæ cum Mariâ contra-  
 „ ctæ non fuerint necessariæ, utilesvè  
 „ inferendo in successionem Regni Iu-  
 „ daici Christo: nulla enim nuptialis lex  
 „ privignum faciebat vitrici sui hæredem  
 „ necessarium, nec quia per illam uxoris  
 „ corpus transit in mariti potestatem,  
 „ ideò omne quod ex eâ quomodocunq;  
 „ natum fuerit, marito imputari debet,  
 „ aut potest, ut patet in spuris. Fuerunt  
 „ tamen eadem nuptiæ, ob alias urgen-  
 „ tes causas ordinatæ à Deo, quarum ca-  
 „ pitales duæ hæ, ut extra suspicionem  
 „ fornicariæ copulæ virginei conceptus  
 „ mysterium poneretur, interim dum  
 „ miracula comprobarent Dei Filium  
 „ Messiam, citra virilem concubitum &  
 „ potuisse gigni, & reâpse absque eo ge-  
 „ nitum fuisse: deinde ut servaretur lex  
 „ de conjugis, *non periclitidon*, paternas  
 „ hæreditates in solidum aduentium,  
 „ qualis erat Ioachimo Maria. Hæc Possinus & Bollandus.

LXXI. Sed neutra harum explicationum  
 valet: Nam contra primam nostri Bac-  
 chonii, Francisci Luca, Cornelii à La-  
 pide, & aliorum facit quod constat ex  
 istis verbis Jeremiæ cap. 22. vers. ultim.  
 contra Jechoniam ex Salomone des-  
 cendentem. Hæc dicit Dominus; *Scri-  
 be virum istum sterilem, virum qui in  
 diebus suis non prosperabitur, nec enim erit  
 de femine ejus vir qui sedeat super solium  
 David, & potestatem habeat ultra in Is-  
 rael.* Itemque ex pluribus aliis Scriptu-  
 ræ locis Regnum à stirpe Salomonicâ  
 usque ad Christum ablatum, & ad Na-  
 thanitas translatum, ut proindè illud  
 per Salomonidas ad Christum recto or-  
 dine pervenire nequirit.

LXXII. Contra secundam verò, præterquam  
 quod falsum est quod aiunt Possinus &  
 Bollandus citati, quod scilicet extincto  
 Jechoniâ, quem vocant (nescio quo-  
 modò) Salomonidarum postremum,  
 stirps Salomonica prorsus exaruerit, vel  
 dicant mihi à quo sint illi qui post Je-  
 choniam in totâ tertiâ Testaradecade  
 recensentur ut geniti ex se invicem à  
 Matthæo? & concludant Matthæum  
 vel mendacem vel deceptum. Contra  
 hanc secundam, inquam, facit quod

supra evicimus Christum, Mariam, &  
 Iosephum non ex lineâ Nathan apud  
 Lucam, ut volunt hi Authores, sed ex  
 lineâ Salomonis apud Matthæum de-  
 cendere secundum carnem.

Ac deinde contra utramque facit LXXIII  
 quod ex utrâque necessario & inevita-  
 biliter sequeretur intolerabile absur-  
 dum quod scilicet inutilis esset prorsus  
 ac vana alterutrius Evangelistarum res-  
 pectu Christi & nostri tam operosè de-  
 ducta Genealogia, qui tamen illam ad  
 ipsum ex professo referunt sine dubio  
 propter alicujus magni momenti ra-  
 tionem.

Probat hęc sequela, quia in pri- LXXIV  
 mâ sententiâ non accepit Christus car-  
 nem propagatam ex Nathane, nec  
 etiam Regni successionem per D. Iose-  
 phum, in quibus tamen duabus stabant  
 repromissiones Abrahæ & Davidi fa-  
 ctæ, & à Iudæis expectatæ, cum ea  
 Christus in hac sententiâ accepit per  
 lineam Salomonis à Matthæo exten-  
 sam, ad quid ergò Lucæ Genealogia?  
 An ut sciretur quod D. Iosephus erat  
 filius legalis Heli, & consequenter ejus  
 hæres & Christus per ipsum? Sed si  
 Heli nullum jus habebat ad Regnum  
 Davidicum commutandum à Christo,  
 quid conferebat nobis scire quod Divus  
 Iosephus & per ipsum Christus alicujus  
 glebæ terræ aut domunculæ per Heli  
 hæres erat? certè nihil prorsus, ergò  
 inutilis prorsus fuisset ac vana Lucæ ge-  
 nealogia. Reversa & torque hoc idem  
 argumentum eodem modo reversibile  
 in Possinum & Bollandum, qui dicunt  
 Christum & Iosephum per lineam Na-  
 than (quam deducit Lucas) carnem  
 & regnum accepisse, & invenies pari-  
 formiter Matthæum inutiliter respectu  
 Christi & nostri suam pertexuisse Ge-  
 nealogiam: sed nihil potest esse absur-  
 dius tali sequelâ ex utraque istâ senten-  
 tiâ æqualiter necessario inferendâ: ergò  
 neutra potest esse vera.

Atque hoc etiam argumentum simi- LXXV  
 liter præmit eos qui dicunt per Ma-  
 riam Matrem suam Regnum istud ac-  
 cepisse: vel enim illa, à quâ solâ etiam  
 Christus accepit carnem descendit à  
 Davide per lineam Salomonis, vel per  
 lineam Nathan: si per lineam Salomo-  
 nis deductam à Matthæo: ad quid ergò  
 Genealogia



Genealogia Lucæ: Si verò e contra per lineam Nathan deductam à Lucâ, ad quid Genealogia Matthæi?

LXXVI Dicendum ergò, viâ quasi mediâ inter utramque incedendo, Christum jure hæreditario in Regnum Davidicum successisse per D. Josephum ex hoc quod cum Josephus à Salomone descendat secundum originem carnis eodem fermè passu cum B. Virgine, ad cujus nuptias pervenit uti propinquus ex præscripto legis Numer. cap. ult. præcipientis, ut puella hæres paternorum bonorum, nubere volens, accipiat virum de Tribu & cognatione Patris sui: sicq; factus est D. Josephus Pater Christi in Sponsâ suâ, de tempore conjugii sui cum illâ, Spiritus Sancti virtute concepti, & reciprocè Christus ejus hæres necessarius longè strictiori jure quàm filii legales ex lege Deuteronomii.

LXXVII. Cum ergò D. Josephus licet descendens ex Salomone secundum originem carnis, esset filius legalis Heli descendens recto ordine ex Nathane altero Davidis Regis filio, hinc Regnum Davidicum à Salomonidis ob eorum peccata translatum ad Nathanitas delatum est ad Heli, & eo mortuo sine liberis ex se progenitis devolutum est ad Divum Josephum uti filium ejus legalem & hæredem; & consequenter D. Josepho mortuo ad Christum strictius filium suum quàm ipse Josephus esset filius Heli.

LXXVIII Nec possibile est ut aliter Christus ex lineâ Salomonis descendens Regnum ad lineam Nathan translatum hæreditario jure obtinere potuerit quàm hoc modo: Et verò si non rediisset hoc modo ad Christum non ita pateret veritas eorum quæ refert Lucas c. i. v. 32. & 33. ubi ait: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis*: quod in hac nostrâ sententiâ verificatum invenitur, dum sedem seu regnum Davidis per Patrem suum D. Josephum accepit, & ita extulit, ut de corporali fecerit spirituale, de humano divinum, de temporali æternum: Istud quippè Lucæ *Dabit illi, &c.* non significat simpliciter Christum regnaturum in domo Jacob in æternum, sed etiam super sedem David quam facturus est æternam, illam scilicet com-

mutando in se ab humanâ in divinam: debuit ergo illa à Nathanitis ad eum rediisse ut ipse eam ita evehere posset & commutare. Quocirca cum hoc ita pronuntiasset Lucas, ipsius partes erant probare, quod fecit, Genealogiam illorum per quos regnum ad ipsum pervenit prosequendo, & Genealogiæ Matthæi quæ tantum originem ejus secundum carnem attigerat assequendo: sicque patet quomodo utraque Genealogia spectet ad Christum, quod non ita se habere in aliis sententiis manifestum est.

Regnum ergò à Salomonidis translatum ad Nathanitas rediit ad Salomonidas in Christo descendente ex his, & regnum adepto per lineam legalem D. Josephi Patris sui, per quem jus illius erat: ut sic in Christo utraque linea regalis tam Salomonidarum quàm Nathanitarum benediceretur, & relevaretur, & utraque in Christo reunita regnaret in æternum.

LXXIX. Confirmatur hæc doctrina ex propheta Jeremiæ c. 22. contra impium lechonium à quo cœpit regni translatio & qui ille est quem ponit Matthæus in Genealogiâ suâ in capite tertiæ Tethydecadis: de hoc dicitur ibi v. ult. *Hæc dicit Dominus scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur. Nec enim erit de semine ejus vir qui sedeat super solium David & potestatem habeat ultra in Iuda, ubi istud, Hæc dicit Dominus scribe, significat sententiam & decretum Dei contra ipsum, eum privantem & posteros suos non tantum usu ut volebat supra noster Bacchonius, sed etiam omni jure regni. Non itaque Nabuchodonozor impium istum adducendo captivum in Babylonem cum filiis suis spoliavit regno, sed Deus, qui usus est Nabuchodonozore tanquam instrumento ad exequendum sententiam suam contra ipsum: Cum verò in istis verbis: *Non erit de semine ejus vir*, particula ista *vir* juxta Glossam & D. Hieronymum sit taxativa & per hanc Prophetam intelligere voluerit eum qui sit vir seu homo tantum, per quod exceptus est ille qui est homo & Deus simul: profectò sonavit propheta regnum rediturum ad istam lineam in Christo, qui non fuit homo tantum,*

N 3

sed

Synopsis

Nathanitis

D.

Josephus

SV  
an



sed homo & Deus simul, prout de facto rediit, dum Christus existens de lineâ Salomonis secundum originem carnis, factus est hæres regni per D. Iosephum pertinentem secundum legem ad Heli ex lineâ Nathan, ad quem Heli recto ordine devolutum erat regnum revol- vendum in Christum filium D. Iosephi.

LXXXI Ex his inferes, primò, contra Possi- num & Bollandum nuptias D. Iosephi eum Mariâ non tantum fuisse utiles, sed etiam absolutè necessarias inferen- do in successionem regni Iudaici Chri- sto: cum enim ut toties dictum est reg- num istud esset à Salomonidis ad Na- thanidas translatum ex decreto Dei ob peccata priorum, & ex his Christus carnis originem traheret per Mariam, unde ad illud iure hæreditario perve- nire potuisset nisi per D. Iosephum? At si D. Iosephus uti Heli ex Nathane descendens filius legalis, & conse- quenter regni ad ipsum per eisdem Narhanitas successivè & recto ordine delati hæres, Matri ejus dum concep- tus est nõ fuisset conjugatus, quomodo eo mortuo Christus regnum ab ipso jure hæreditario accepisset? Certè ma- nifestum est quod si D. Iosephus non nupsisset, non ad filium Virginis quam- vis sibi secundum carnem propinquissi- mæ, sed ad proximiorum secundum le- gem, ad quorum lineam per eandem le- gem translatus erat, Regnum revolu- tum fuisset: si verò nupsisset alteri quàm B. Virgini, & mortuus fuisset improlis sicut Heli, filius ei per propin- quum ex lege Deuteronomii suscitandus, in ejus jura hæreditatem & regnum successisset, vel si proles suscitata non fuisset masculus, rediisset ad propin- quiorum Heli Patris sui legalis, cum ad hunc maximè quod spectat hæreditatē, non ad Patrem carnalem, pertineret.

LXXXII Inferes secundò, contra eosdem, frigidam esse nimis & indignam Christi ad D. Iosephum, cum privigno ad vi- tricium comparationem, cum enim Christus esset in Virgine uxore D. Iosephi, non ante nuptias cum illâ ut privignus, sed de tempore illarum sine illius injuriâ virtute Spiritus sancti con- ceptus, ideo omni jure hic D. Iosephi hæres erat necessarius, qualis non est privignus respectu vitrici, quare si non

esset alius Christus respectu D. Iosephi, quàm privignus respectu vitrici, ab ip- so non ad Christum, sed ad proximio- rem Heli Patris sui legalis reversum fuisset Regnum.

## CAPUT XIII.

*Fuit tamen D. Iosephus condi-  
tione Faber.*

**C**IVES Nazarethani Conci- ves Christi eum noverant ab ipsis vitæ primis unguiculis: Sciebant hinc ipsum nun- quam studiis litterarum operam dedisse: Illinc tamen eum videbant admi- rabiliter concionantem, Scripturas profundissimè & clarissimè qualiter nullus explicantem: *Nunquam enim sic locutus est homo*, Joann. cap. 7. v. 46. Miraculorum quæ in dies & horas ope- rabatur famam audierant, nonnullorum & ipsi testes oculati erant: propterea stupentes & attoniti inquirunt, ut scribit Matthæus c. 13. vers. 55. *Vnde huic sapientia hæc & virtutes? nonne hic est Fabri filius?* Et Marci c. 6. *Nonne hic est faber?* Utrumque enim dixerunt, alii hoc, alii illud.

Fabrum ergo fuisse D. Iosephum & Christum ejus filium ex his locis mani- festum est, & hoc est quod videtur mul- tis durum, & propter quod fidè doctri- næ à nobis præcedenti capite traditæ vix dare possit: quæ enim apparentia, inquirunt, quod homo Faber, tam tenuis ut ex opificio victitare debuerit, fuerit hæres istius Regni?

Sed qui ita ratiocinantur non adver- tunt distinctionem esse inter usum reg- ni, & jus ad regnum. Et posse facile fieri ut ex Progenitoribus diu usu reg- ni privatis nascantur posterii tenues, etiam regni hæredes, seu jus præci- puum & plenum ad regnum habentes: & ut vidimus Davidem ex pauperulo opulione, & alios ex vili casâ ad solium, Dei (per quem Reges regnant) nutu evectos, ita eodem nutu & Reges & eorum posteros tandem prostratos & ad tenuem fortunam dejectos: pleni sunt libri hujus & illius versatilis fortu- næ ludis & revolutionibus: tanta est